

gitaremus, cœpto præsertim à tali homine tam infelici tempore, in tanta librorum multitudine, in tanta legum confusione, per tales homines, tam brevi spatio? Verum ut dixi, opus inter manus versatur, ut ita præstantiam ejus æstimare liceat: nosque particulatim id considerare oportet.

CAP. XII.

Singularia quædam de opere
Triboniani.

PRimum igitur de consummato hoc opere notandum est, quod Tribonianus eo absoluto omnes antiquas leges, edicta Prætorum, Senatusconsulta supprimi & aboleri curavit: quod certe facinus, si aliud unquam, sacrilegii nomine fuit dignissimum, eorum etiam iudicio, qui Jurisprudentiam Romanam maxime laudant & efferunt. Nam si Justinianus Pandectarum libros ædem Justitiæ, opus divinum potius quam humanum, sapientiæ civilis thesaurum appellat, quanto pretiosiorẽ & digniorẽ fuisse existimamus tot bonarum & salutarium legum ac statutorum collectionẽ.

L 5

Quod